

IN CENSURAM CAPITIS XVI.

De cultu & veneratione Iesu Christi,
unici Mediatoris, deq; invo-
catione Sanctorum.

IN hoc Capite non censetur nisi hoc unum, Quod Remonstrantes eos rectè facere statuunt, qui Iesum Christum, quatenus Mediator noster apud Deum est, sanctè ac religiose colunt, id est, adorant, invocant, spem & fiduciam suam in eo collocant, eiq; suppliciter gratias agunt ac benedicunt. Fatetur Censor Christum nobis agnoscendum & colendum esse, non tantum ut unigenitum Dei Patris Filium & verum Deum, sed etiam ut Θεός ἁγίων ac Mediatorem inter Deum & homines. Atqui nihil aliud dicunt Remonstrantes in Confessione sua. At, inquit, cultum hunc constituunt Christo Mediatori proprium, ex ratione solius officij ipsi a Patre impositi, aut gloriæ ipsi a Patre concessæ. Sanè: Qui possunt aliter, si est cultus, qui Christo, ut Mediatori, contradistinctè ut est unigenitus Dei Patris Filius, gratiosè a Patre collatus est, quod ipse Censor agnoscit? At hoc Socinianis manifestè favet, inquit: favet ergo, inquam ego, Censor ipse Socinianis, dum id, quod diximus, iis concedit: Et ubi veritas hæretico favet, hæreticus ea parte hæreticus non est. At, inquit Censor, hoc viam aperit Socinianis ad omnia argumenta orthodoxorum eludenda, quæ pro vera & æterna Deitate Christi, ex huius divini cultus communicatione, ab Ecclesia veteri & recente, semper invictè sunt petita. Eheu! quantum periculum! Alterutrum ergo dicendum est; Aut falsum esse, Christo, ut Mediatori, cultum & honorem hunc a Deo attributum & gratiosè communicatum esse, aut, si hoc falsum non est, uti Censor hoc falsum non esse concedit, æquissimum omnino esse, ut argumento isto plumbeo non amplius pugnemus. Ferendum utiq; non est, ut res certissima præsidio nitatur frigidæ probationis. In argumenta jurandum non est: Candoris & ingenuitatis est illis non uti, si Adversarij occasionem inde arripiant in errore permanendi: Et, quod periculum est, etiamsi argumentum istud concidat, salva veritate principali? Atqui, inquit Censor, eodem modo argumenta illa, quæ a nominibus, proprietatibus & operationibus divinis, pro divinitate Filij petuntur,

Diluuntur frivole aliquot exceptiones contra id, quod Remonstrantes statuunt, Christo, quatenus Mediator est, cultum adorationis religiosum competere.